





9.

Q. D. B. V.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

18  
Vol: 1 N: 14

In qua

Hypothesis

LE

1726, 6.

# HARMONIA INTER ANIMAM ET CORPUS PRÆSTABILITÄ,

Breviter proponitur ac ponderatur,

CONSENTIENTE AMPLISS. FACUL-  
TATE PHILOSOPHICA,

PRÆSES

M. JANUS VAN HAUEN,

Ortheniensis-Danus

&

RESPONDENS

FRIDERICUS GEORGIUS MAKE,

Wismariensis S. S. Theol & Philos. cultor

Publico eruditorum examini fistunt

ILLUSTRI ACADEMIA ROSTOCHIensi

Anno Christi MCCXXVI.

d. 8. mensis Junii.

Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampliss. Senat. Typograph.



SI. A. 1. 181

VIRO  
ILLUSTRI ac EXCELLENTISSIMO  
**FRIIDERICO**  
**WAGENERO.**

CONSILIARIO IN SUMMO REGIO TRIBUNALI, QVO WISMARIA SUPERBIT,  
CELEBERRIMO

AVO SUO HONORATISSIMO  
JURIS CONSULTO,

AD GLORIAM SECULI, ADMIRATIONEM ORBIS,  
TUTELAM JUSTITIAE, SALUTEM OMNIUM,  
SPLENDOREM SUORUM,

**DIVINITUS DESTINATO**  
OPTAT,

QVICQVID EJUS MERITA MERENTUR,  
ET CONTINUANDUM ET AUGENDUM,  
OFFERT QVE

SE IPSUM PORRO AMANDUM,  
DISSERTATIONEM HANC AEQUI BONIQUE  
CONVLENDAM

PIUS IN ILLUM GRATUSQUE NEPOS

**F. G. MAKE.**



§. I.

**R**atione humanae non sine causa certos constituit cancellos Divina sapientia , quos per rumpere meritò sibi nefas putaret ; Verum tanta , proh dolor ! ejus est perversitas , ut , quò pertingere nequit , eò fortiore impetu contendere cupiat , nec dubitet res , quæ circulum suum longè transcendunt , decem-

Peda sua emetiri , non contenta per gradus in intimiora sapientiae adyta prærepere , sed ausu prorsus temerario omnia obstacula tranfilire potius , quam superare gestiens . Non equidem inferior , Virtuti & industriae humanae nullam viam debere esse plane inviam , multò minus approbo desperatam inertissimorum istorum hominum ignaviam , qui Prædecessorum , in maximis quamvis errorum devis verfantium vestigiis tam religiose insistunt , ut ne latum quidem pedem ab iis discedere ausint ; Laudabiles potius eorum conatus æstimo , qui , seinitis erraticis , tritissimis licet , relictis , viam veritatis regiam & rectam ratione Duce & comite experientia investigant . Hoc tantum est , quod doleo , dari non paucos , qui , ultra vulgus doctorum dum sapere gestiunt , per arduos montes & colles declives viam sibi ipsis ita sternere laborant , ut , ubi vel præcipitia vel loca salebrosa grassantibus objiciuntur , saltibus immensis eadem quasi transvolare conentur , in rupes asperas haud dubiè impacturi , aut saltem in gurgitem periculosisimum prolapsuri . Cæterum inde regressus in viam non adeò diffilis daretur , si impotentis rationis petulantiae frænum paulisper injiceretur , spes vero propemodum omnis decollavit , cum , recto licet tramite ipsis ostendo , ludentis tamen ingenii ductu atque exorbitantis imaginationis auspiciis ab eodem

tam procul se abripi patiantur, ut omnes, qui se prævios non seqvuntur, superciliosè contemnunt tanto acerbius ipsi deplorandi, quanto incontinentius alios falsissimè rident. Profecto non vitio vertitur Philosopho, si ibi subsistat, ubi ultra progressi non licet, & pedem figat, ubi ad terminos constitutos perventum est.

## §. II.

In quantos labyrinthos & quam flexuosos difficultatum anfractus se ipsos conjiciunt, qui limites rationi præstitutos temere transgredi non dubitant, luculenter testantur tot agitatae inter celebriores nostræ ætatis Philosophos de origine malii controversiarum. Enimvero cum P. BÆLIUS, Vir cætera ingenio atque eruditione florentissimus hoc argumentum non melius feliciusque se expedire posse opinaretur, quam si errores Manichæorum, duplex statuentium principium, unumbo num, alterum malum, renovaret & quasi ex ore revocaret, illius conatibus obviam iverunt Viri non minus in Anglia & Belgio, quam in Germania & Gallia celeberrimi, impari quamvis successu. Confer. relationes innocentes ad an. 1706. pag. 156. seqv. pag. 532. seq. an. 1707. pag. 62. seq. 68. seq. 441 seq. E multis unum nominare sufficiet ILL. LEIBNITZIUM, qui hoc BÆLII paradoxon optimè profigari posse existimavit, si ex duplice principio unum conflaret, mechanicam omnium rerum structuram, nec non harmonicam, ut totius universi, ita speciatim anima & corporis præstabilitam supponeret. Legatur ipsis Theodicæa per integrum. Novam hanc LEIBNITZIUM philosophiam novis adjectionibus hinc illustravit, illinc locupletavit CHRIST. WOLFIUS, haud ita pridem Hallensis, nunc verò Marpurgensis Mathematicum & Philosophiae Professor Celeberrimus, tum in aliis scriptis, tum præcipue in Metaphysica sua, cum qua comparari possunt annotationes in eam adornatæ.

## §. III.

Scopus dissertationis hujus tribus plagulis circumscriptæ non patitur in singulas totius systematis theses ac hypotheses opero-

operiosus evolvendas discutiendasque excurrere. Otia insuper mihi fecerunt tot viri erudit, quorum in novo hoc philosophemate sub examen vocando labores jam pridem orbi eruditio innotuerunt. Evolvantur, si placet, & probè penitentur, quæ contra Wolfum scripta & disputata sunt à Viris Amplissimis doctissimisque, D. JOACH. LANGIO, WEIS-MANNO, BUDDEO, LANGHANSIO, HOFMANNO, HOLMANNO, WALTHERO aliisque, quorum scripta D. LANGIUS in peculiari libro anno 1725. edito, recensuit. Quoniā autem spicilegium post plenam messem instituerelicit, dabimus operam, ut hypothesis Leibnitio Wolfiana & palmariae cum ea connexæ theses & antitheses qualicunque nostræ disquisitioni subjiciantur. Ut verò hoc felicius procedat, juvabit in antecessum exstantiores Philosophorum de commercio inter animam & corpus sententias brevibus expōnere.

## §. IV.

Ex quo tenuiora Philosophiae rudimenta in ordinem systematicum redigi coeperunt, communis totius propemodum generis humani etiam à Philosophis defensa est opinio, dari nimirū veram & realem inter animam & corpus communione, in reciproca unius in alteram operatione consentem, ita ut, quæ per organa sensoria & succum illum nerveum in iis fluentem rectâ ad cerebrum deferuntur objectorum imagines, easdem mox anima rationalis, ut pote quæ maximè sibi conscientia sit eorum, quæ corpori suo accident, sibi appropriet, &c, vice versa, quicquid anima vult decernit, atque executioni drioptat, id corpori suo organico præcipiat atque imperet. Hoc anima & corporis sive consortium sive commercium non inconcinnè sistema influxus physici à nonnullis appellatum est, nec dubium est, ita vocari posse, si terminus hic non pro locali quadam imaginum à corpore in animam & idearum ab anima in corpus translatione sumatur. Coeterum quandoquidem hæc sententia nec intimæ hominum conscientiæ, nec ipsi experientiæ, nec rationi, nullis præjudiciis impeditæ, adversatur, eam ut non temere amplexi, ita constanter tuiti sunt è Philosophorum Christianorum ordine quam plurimi, ad quos

6 (o)

referri merentur hinc Theologi, quorum interest, ne, admissis  
novis & suspectis hypothesis, Christiana religio aliquid de-  
trimenti capiat, illinc Juris consulti, quibus curæ est, ut actio-  
nes morales certum habeant imputationis fundamentum, istinc  
denique Medici, quorum non parvi refert, ut phænomena, quæ  
in corpore humano contingunt, secundum experientiam sana-  
ratione firmatam explicentur.

§. V.

Novam & ab hac prorsus alienam hypothesisin adoptarunt  
Cartesiani inter quos mihi præprimis noti sunt MALEBRAN-  
CHE, P. BÆLIUS, BALTH: BECKERUS, & JO. CHRISTO-  
PH. STURMIUS, cætera Philosophus Eclecticus, multum ab  
Antesignano suo Cartesio discrepantes; Quamvis enim ille a-  
nimam, tanquam Spiritum merè cogitantem physicè corpus  
movere non posse, multò minus corpus, tanquam rem  
materialē, ullum in animam habere influxum existimaverit,  
nihil tamen secius animam, ceu diretricem omnium, qui in  
corpo peraguntur, motuum actuumve animalium agnoscit,  
eamque adeo se habere ad instar equitis, equum, quounque  
libet, ducentis, regentis, moderantis. Cartesianos vero si  
audiamus, nulla reciproca inter animam & corpus erit actio,  
sed omnes motus corporis atque animæ perceptiones volitio-  
nesque unicè & immediate à virtute Dei agentis dependebunt,  
& causarum tantum Occasionalium vicem sustinebunt. Hoc  
modo occasione cognitionum & dcideriorum animæ DEus,  
ceu causa intermedia utatur, ad producendos in corpore motus,  
& occasione sive præsentia motum in organis corporis senso-  
riis factorum ad perceptiones in anima excitandas, quæ hy-  
pothesis systema causarum occasionalium nominari convevit.

§. VI.

Cæterum cum duo hæc memorata systemata propter dif-  
ficultates, quibus obnoxia esse videbantur, ingeniosis quibus-  
dam Philosophis non arriderent, aliud, quod naturam opera-  
tionesque spirituum & corporum decentius explicaret, exco-  
gitatum est. Hinc prodiit systema Harmoniæ Præstabilitæ,  
aucto-

auctore , uti fertur ill. LEIBNITIO , qui primū Anno 1695 in Journal des Scavans novam suam hypothēsin orbi eruditō di-  
judicandam proposuit , subsequentib⁹ deinceps annis doctissi-  
morum Virorum CLARKII videlicet , FOUCHERII , TOUR-  
NEMINII , LAMII , NEUTONII , STAHLII aliorumque , præ-  
cipue verò P. BÆLI , qui in dictionario suo Historico Criti-  
co eam examini subjecit , objectionibus partim in journal des  
Scavans ad annum 1698. & 1715 , partimin aliis super hac con-  
troversia editis scriptis , præprimis in Monadologia sua &  
Essais de Theodice satisfacere conatus est .

## S. VII.

Nec videbatur novi hujus ædificii compages molem su-  
am diu sustinere posse , à tot quippe eruditissimis Viris oppug-  
nata , & tantum non expugnata , nisi novissimè à CL. WOL-  
FIO , ubi maximè ruinam minari videbatur , fuisse partim luf-  
fulta , partim variis hinc inde conquitis coloribus ita exorna-  
ta , ut , si non stabilitate sua , saltem concinnā partium struc-  
tu⁹ animos oculosque spectantium perstrinxerit . Nec mihi no-  
tus est ullus ali⁹ Philosoph⁹ . ( nisi forte Thümmigium in in-  
stitutionibus Philosophiæ wolffianæ hoc quoque referre placu-  
erit ) qui systema Harmoniæ Præstabilitæ publicè tuitus est ,  
preter G. Bernh. BULFINGERUM . Professorem Extraord. Tu-  
bingensem in Commentatione Hypothetica de harmonia ani-  
mi & corporis humani maximè præstabilita ex mente ill.  
LEIBNITII , qui , quæ subinde durius , subinde obscurius in  
scriptis LEIBNITII prolata fuerunt , singulari orationis artifi-  
cio emollire & dilucidare conatus est . Ex hoc autem libro  
Bulfingeri & metaphysica wolffii , cum ad manus sint , tantum  
in præsenti dissertatiuncula adducere mens est , quantum insti-  
tuto nostro potissimum inservire potest .

## S. IX.

Jam mentem Fautorum Harmoniæ Præstabilitæ paucis ut  
exponamus , par est : Neque reciprocā animæ in corpus aut  
corporis in animam operationem admittunt , neque directio-  
nem quandam animæ , cœu superiori agenti adscribunt , neque  
media-

mediatum Dei interventum cum Cartesianis statuant, sed utriusque tam animæ quam corpori, tanquam substantiis, toto coelio diversis iuras res suasque sibi operationes habere jubent ita ut ne minima quidem inter easdem intercedat operationum communio. neque anima sua decreta, & desideria corpori, neque corpus suos motus animæ impertiatur, idque quia nontantum Corpus pro certo suo statu varioque motu & applicatione aliorum adjacentium corporum secundum leges Mechanico physicas moveatur, atque adeò sine omni prorsus directione animæ, suas sibi perficiat operationes, verum etiam anima suarum mutationum principium rationemque in se contineat, nec extrinsecus ideas rerum recipiat, sed secundum Leges causarum finalium ex se suoque fundo quasi evolvat, ita quidem ut tam anima, quam corpus per consensum quendam harmonicum, eundemque à DEO Præstabilitum in operationibus suis ita secum inuicem exactè conspirent & contentiant ut ad certos motus corporis certæ in anima perceptiones, atque ad certa animæ imperata & desideria certi in corpore motus sequantur, haud aliter ac duo automata sive horologia in rotulis, elateribus ponderibusque suis tanta conformitate fabricari possunt, ut in motu suo accuratissimè respondeant, nec minutissimo quidem momentulo discrepant aut discordent, sine ulla tamen unius in alterum influente operatione.

## § IX.

Fundamenta, quibus hac hypothesis innititur, ad tria summa capita revocari possunt. Ad primu n referenda sunt, quæ Fautores hujus systematis de rerum simplicium essentia, existentia, subsistentia & operationibus prolixè disputant. Ad secundum pertinent ea, que de rerum compositarum contingentia, mechanismo physico, nexus non interrupto, & harmonica omnium rerum congruentia ratiocinantur. Ad tertium spectant, quæ in specie de harmonia inter animam & corpus præstabilita philosophantur. Nos primum præcipue & ultimum caput, ut pote quod scopo nostro maximè inservit, considerationi nostræ submittemus.

## § X.

## §. X.

Rerum simplicium, quas generali vocabulo Monadum in signunt LEIBNITIUS & BULFINGERUS, quatuor constituant classes. In prima ponuntur Elementa mundi sive res simplices, quas in specie Monades vocant, & unde omnes res composite suam habeant originem: Has obscurè & confusè mundum sibi repræsentare statuunt. In secunda collocantur animæ brutorum, quæ clare quidem nonnulla, alia obscurè, sed tam hæc quam illa indistinctè sibi repræsentant. In tercia ponuntur animæ hominum, quæ clare quidem universum pro vario statu & situ corporis sui, quadam verò distincte, alia confusè sibi sistere & repræsentare dicuntur. In quarta constituitur DEus, omnium simplicissimus, qui omnia in mundo non modò clarissimè & distinctissimè, sed etiam uno & indiviso actu, id est, non successivè, sed simul & semel sibi repræsentat. Vide WOLFII metaph. §. 900. seq. & BULFINGERI Comment. hypothet. de Harmonia &c. §. 90. qui pro instituto suo solum de repræsentatione trium priorum Monadum philosophatur.

## §. XI.

Monades primæ classis prædictas esse ajunt vi quadam mundum sibi repræsentandi modo obscuro, confuso sine sensu, sine conscientia, atque adeò perceptionem quandam debiliorem ad instar illius, quam habet homo profundè dormiens, nec somniis inquietatus, nec sono fortiore excitatus, iis adscribunt LEIBNITIUS & BULFINGEROS I.c. §. 90. WOLFII autem licet talem dari mundi representationem supponat, dubius tamen est, an Monadibus Leibnitianis eam attribuere audiat met. §. 900.

## §. XII.

Quæ de Monadum harum natura prolixius à Leibnitio & Wolfio differuntur Conf. LEIBN. Monadol. per totum & Wolf Metaph. §. 75. seq.. ea in compendium quoddam redacta nobis exhibet BULFINGERUS §. 90. seq. ita quidem, ut, quæ apud cæteros perplexiora visa sunt, inque sensum minus

B commo-

commodum facile trahi potuerunt, magis explicitè nobis proposuerit. Verba ipsius ita jacent: *Sciendum est, res simplices ob simplicitatem suam unitates aut Monades dici posse, earum existentiam neminem negare, nisi qui numerum & multitudinem sine unitatis possit concipere;* *Esse autem illas non perfectè similes:* *Si enim id foret, nullam hinc in compositis varietatem oriri posse,* *saltet ubi omnia plena credideris.* Differre autem non figura mole &c. quibus careant simplicia, differre non statu externo, quorsum figura &c. pertinerent: *Igitur interno, qualis in simplicibus attende possit.* Statum illum internum posse variari ob naturam finitudinis, finita eius dicuntur, *qua non omnia simul habent, qua habere possunt, coquæ successivæ illa possunt obtinere.* In mutatione successiva omni contineri varietatem & multitudinem, manere enim aliquid, ubi mutatio contingit, & variari aliquid. Multitudinem igitur esse in simplici non realem sanc & partium propriæ dictarum, representatam igitur & graduum, representationem illam multitudinis, tanquam extra Monadem existentis, factam in simplici, generali quidem vocabulo vocari perceptionem posse, perceptionem esse diversi gradus specifici. In simplicibus Monadibus esse debilem &c. &c. Et nonnullis interjectis, pergit: *Nihil rerum creatarum & externarum posse agere in interiora Monadum, quia nihil hic transponi possit, nullus concipi motus internus, ut in compositis, nec quicquam in his simplicia possit ingredi neque egredi.* Mutari tamen ipso quoque facto Monades, uti creata omnia. Mutari ergo oportere non ipsam essentiam, aut id quod perdurans est in substantia, sed limitationes ejus, gradum intellige illius perceptionis, quam diximus. Mutari autem a principio interno. Principium mutationis hujusmodi omnis generale vim vocari posse, & per conatum explicari, qui quasi medius sit inter nudam potentiam, qua adhuc sui excitationem, requirat ad actionem, & ipsam actionem, atque adeò exferat, cum impedimenta tolluntur, cuiusmodi sit gravitas in lapide suspensa, elaterium in elatere tensio &c. Actionem illam principii in Monadibus interni, qua fiat mutatio sive transitus ab una perceptione ad alteram, dici appetitus generali iterum vocabulo posse.

## §. XIII.

Nimis prolixum foret plura ipsius Auctoris verba citare, & siquidem WOLFIUS in Metaphysica sua maximam partem cum

cum eo convenit, allegatione verborum ejus hic supersedere nos posse arbitramur, hoc saltem addimus, WOLFIUM, licet in Metaphysica sua edit. 1720. judicium suum de Monadum perceptione atque appetitu suspendat, alibi tamen Mathematicam quandam hujus perceptionis demonstrationem & promissam & tentasse, cuius rei testis est BULEING, I. c. pag. 99. Ex eo autem tot verba citavimus, partim ut quilibet genium hujus Philosophiae cognoscere dicat, partim nequid praeter veritatem Cl. Auctòribus affingere videamur. Quam vero acuta, quamque accurata haec philosophandi methodus ipsis Auctòribus jucundatur, & quam mirè in ea ipsis sibi plaudunt, aliis tamen perfunctum est, non multum eam in recessu habere, sed cum tricis nimis que subtilitatibus Scholasticorum in aliquibus posse conferri.

## §. XIV.

Enim vero post diligentiores & aliquoties repetitam sententiarum Clariss: Auctòrum lectionem pensitationemque pro modulo ingenii comperi, principia, quibus Systema eorum innititur, alia planè esse supposititia, alia verissima quidem in se, sed non semper appositiè satis applicari. Perlegatur caput secundum Metaph. Wolf., ubi dum in eo est, ut ipsos rerum ortus & initia exponat, theses quasdam in se quidem verissimas, sed primæ rerum productioni ex ipsis naturæ principiis demonstrandæ non facilè sufficietas, in subsidium vocat, non perpendens, ex præsenti rerum naturalium ordine & cursu, in quo constantem perpetuumque esse motuum sibi invicem succendentium nexum, certis paribus, nemo negat, temere concludi ad ordinem rerum primitus instituendum.

## §. XV.

Eadem grassantur via Auctores Cel., cum Mechanismum quendam non tantum in omnibus corporibus, sed & in Monadibus terriæ classis, animabus scilicet hominum, supponi debere autumant. Huc spectat regula Leibnitii: *Præsens semper gravidum est futuro.* Etenim cum in scrutinio rerum naturalium, clarissime vero in automatis machinisque, ab effectibus ad causas continuè progressum fieri posse & debere animadverterunt, à possibilitate ad ipsam rei veritatem argumentari coepérunt, rati, ibi esse

esse machinas, ubi series causarum & effectuum deprehenditur. Non quidem prorsus nobis displicet institutum Ampliss. Auctorum, res Philosophicas Mathematicis, id est, accuratissimis demonstrationibus probare & illustrare cupientium, dummodo extra oleas, ut ajunt, & orbitam non vagarentur; Cum vero teneorem earundem ultra, quam par est, extendant, non mirum est, si placitis eorum accidit, quod dicitur in proverbio: Arcus nimium tensus ut plurimum rumpitur.

## XVI.

Ex hac præposterea philosophandi methodo fluit non exigua pars hypothesum, quas fovent, quarum principem locum obtinet regula, quam fundamenti loco philosophia sua substernunt. Ita enim WOLFius sribit: *Quoniam impossibile est, ut ex nihilo aliquid fieri possit, omne, quod est, sufficientem suam rationem habebit, cur est, Hanc tamen principium sufficientis rationis nominabimus.* Provocat deinde ad *Archimedem*, qui doctrinam *summam de aequilibrio gravium corporum*, ex veritate hujus regula estimat. Met. §. 30. Cum his comparentur regulæ a BULFINGERO adductæ lib. cit. §. 37. seq. de quibus in sequentibus aliquid dicendi erit locus. At vero sapientissimo Numinis suas fuisse rationes, cur hunc & non alium rerum ordinem instituit, venerabundi agnoscimus, quin imo hominibus non modò licere, sed & pro in estimabili illo rationis munere, ipsis præ reliquis animalibus concessio, per vim quandam obligationis illis incumbere easdem, quoisque progredi licet, causas investigare non negamus, sed quod modulus capacitatris nostræ iisdem ubique inveniendis, atque adeo rebus quibuscunque à priori demonstrandis non satis par sit, ipsis nobis largientur Auctores Ampli, qui in multis judicium suspendunt, in aliis inficiantur non disimilant, in applicatione vero hujus regulae re ipsa quandoque ostendunt, rationes suopte quidem ingenio sufficientes, sed aliorum philosophantium judiciis ex ase non satis facturas, haud raro producere. Archimedi laudem inventionum suarum, Euclidi gloriam proble matum evidenter demonstratorum luentes concedimus, nec mathematicis hunc rigorem philosophandi denegamus, quod nec debeant, nec possint, exceptis ipsis

(o)

13

ipsis principiis, nullius probationis indigis, aliquid, quod non sufficienter sit demonstratum, admittere. Verum enim vero nihil omnino subtrahitur existimationi Philosophi, si in veritatis rerum indagandis vires ingenii exercens, modum hujus vel illius effectus, qui nec sensibus, nisi confusè, nec experientiâ, nisi subobscure, cognosci potest, se ignorare non diffitetur. Conticescere ipsum jacent tot opera & effectus naturæ, in quibus sapientiam summi Artificis magis admirari, quam perfecta cognitione assequi licet. In stuporem ipsum meritò conjiant generationes metallorum, Vis magneticæ, statæ fluxus & refluxus maris vicissitudines &c. in quibus si experientiam sana ratione roboretam consulumus, non omnino nihil investigare possumus, si vero solam rationem ducem sequimur, nil nisi meras & male fundatas hypotheses afferre valamus. Et, si nemo unquam inventus sit tantâ ingenii perspicacia tantoque Judicij acumine pollens, ut omnium effectuum naturalium, prout in ordine & serie sua jam considerantur, sufficientes & ad rigorem etiam Mathematicarum demonstrationum exquisitas rationes afferre possit, quanto magis nos latet modus productionis omnium rerum, quem sapientem cum veneratione agnoscimus, sed scientiè tamen eundem demonstrare nequimus, in omnipotentissima DEI voluntate merito acquiescentes. Nec nisi pro extrema temeritate reputari potest, si Philosophus Christianus, qui auctoritatem Scripturæ Sacrae admittit, saltem admittere debet, illâ planè seposita, modum etiam, quo ipsa rerum initia producta sunt, determinare præsumperit. A Philosophis Gentilibus luce meliore carentibus saniora non poterant exspectari, unde nec est, quod admodum miremur, ipsorum philosophandi methodum tot monstrafas in lucem protrusisse: opiniones jam de fatali omnium rerum necessitate, jam de fortuito atomorum concursu, jam de materia Deo coæterna, jam de aliis.

s. XVII.

Existimat quidem Wolfius, Philosopho rationes in Sacris literis non esse quærendas, utpote quarum scopus non est hominem

B 3

nem

14

nem doctiorem, sed meliorem reddere §. 993. At verò, licet ambabns Cel. Viro largiamur, argumenta è Scriptura Sacra non esse deponenda, cum de rerum naturalium causis & effectis disquirimus, non tamen (si venerationem, quam Sacro Codici debemus, salvam esse cupimus) libertas philosophandi eò usque est extendenda, ut, siquid in Sacris literis occurrit, quod falsitatem hypotheseos nostræ manifestò ostendit, tanquam res parvi momenti, sit aestimandum, sed diligenter idem ponderandum, & per ductum illius in viam nos revocari patiamur. Quàm probè verò illud ab Auctoribus Cl. observatum sit, cum hujus loci non est disquirere, Theologis Pl. Reverendis merito pensandum relinquitur.

## §. XVIII.

Præmissis his generalioribus monitis, ipsam de Monadibus hypothesis, prout à Cel. Auctoribus defenditur in propiore considerationem revocare nostri instituti fert ratio. Non quidem inficiamur, omnia corpora è rebus simplicioribus componi, &, ubi res compositæ sunt, ibi quoque res, unde sunt compositæ, adesse debere. Posse easdem aded tenues, minutæ & subtile concipi, ut ipso actu non amplius possint dividi, siquidem ars ultra limites sibi constitutos vites suas exserere nequit, etiam ultro concedimus; Verum dari vel omnino supponi debere tales Monades aut res simplices, quales à Cel. Auctoribus delcribuntur, rationes allatæ non temerè nobis persvadebunt, quippe qua nihil aliud evictum dant, quam quòd omne materialium ex partibus constet, illæ partes iterum ex aliis partibus & sic deinceps, quousque intellectui nostro progreedi licet, non autem probant, materialiam subtilis divisionis esse capacem, ut essentiam suam plane amitteret, atque aded corpora in res in corporeas transirent, & ex Entibus omnis materiae expertibus conflari possent Entia materialia sive corpora composita; Nam licet natura, utpote quæ non alio materialiam dividendi medio, quam motu utitur, nequaquam materialiam in elementa sua (Sc. in præsenti statu rerum

rerum) resolvat met. §. 694. dum tamen corpora materialia sive partes materia tam minutus , ut ne ope quidem microscopiorum perspici possint, ex Monadibus suis , quas immateriales supponunt, (Bul sing. p. 100.) oriri posse & revera ortas esse statuant (met. §. 76. 81. coll. 698. vi oppositorum corpora in Monades , id est res materiales in immateriales resolvi aliquando debere, supposita nimirum destructione hujus mundi, concedant, necesse est.

## §. XIX.

Sed videamus porro , quomodo probationem existentiae harum Monadum instituunt: Quām absurdum est, inquiunt, ut quis numerum compositum ex pluribus constantem absque unitatibus sibi possit concipere , tam inconveniens quoque erit , rerum compositarum naturam explicare, nisi unitates quedam , à quibus orta sunt supponamus W. met. §. 76. Bulf. §. 90. At verò simile hoc non hypothesis probandam demonstrat, sed eam antea firmiter probatam supponit. Deinde haud leve in hac argumentatione vitium deprehendimus, quod , cum aliquid ob qualemcunque cum rebus quibusdam abstractis convenientiam sibi fingant esse possibile, statim concludunt , id ita revera fieri debere. Sed ne possibilitatem quidem harum Monadum à posteriori demonstrare se posse ipsi concedunt , cùm in earum existentia probanda experientiam frustra in subsidium vocari afferant (Wolf. met. §. 83. 86.) V dentur autem mihi Auctores cel, non satis principii sui esse memores , cùm ad operationes suarum Monadum illustrandas exempla è motu corporum mutuantur. Sic cum Büsingerus evincere conatur , hanc esse naturam Monadum , ut semper nitantur exferere actionem , & revera exferant . cùm impedimenta tollantur , provocat ad gravitatem in lapide suspenso , et sterium in elatere tenso l c §. 91. Pari ratione Wolfius , cum in eo est, ut monstret Monades suas constantem aliquid efficere aut producere (met. §. 597.) in auxilium vocat §. 120. ubi de Solis continua calefactione , liquefactionem efficiente agitur. Quasi verò liceret ipsis negare , elementa esse

esse corpora , motuque tam interno , quam externo gaudere & nihilo tamen secius eorum operationes , modum determinationis , limitum vicissitudines & variationes vis five virtutis illius , qua pollere dicuntur , ad leges motuum corporum naturalium revocare .

## §. XX.

Cæterum , non obstante concatenata illa serie , qua Systemata ipsorum cohærere videntur , haud paucas hypotheses gratis assumptas cum veritatibus indubii atque a nemine negatis saepe commiscent ; Illarum enim quasdam ita comparatas esse videmus , ut si ad naturam corporum naturalium explicandam applicentur , usum habeant non contemendum . e. g. quod res finita ob naturam finitudinis possint mutari , si saltem addidissent , quænam Causa prima hujus mutationis esset . Et , quod res non possint oriri , nisi per Creationem , neque interire , nisi per annihilationem &c. alias vero tales deprehendimus , ut manifestum circulum committant , & in meras petitiones principii redeant , atque adeò rem magis intricatam , quam expeditam faciant , nimurum , quod Monades illa non sint perfectè similes , quia alias nulla in complicitis varietas oriri posset ; Cum enim Cel. Auctores varietatem in simplicibus tantum secundum gradus , varietatem autem in compositis secundum partes fieri statuant , non capio , quomodo ab hac ad illam argumentari possunt . Deinde , quod dicant , haec simplicia sua non differre figura , mole , nec statu externo , sed interno &c. haec thesis profluit ex principio nondum rite probato , sed gratis assumpto , quod nimurum elementa five principia rerum sint plane immaterialia . Denique quod nullo motu interno predita sint , & tamen in perpetuo conatu sint statum & limites suos permutandi (Wolf. met. §. 81. coll. 114. & 118. nulla explicita primi Motoris facta mentione .

## §. XXI.

Ex allatis vidimus , Cl. Auctores Monades suas in numerum Entium immaterialium referre , iisdem quoque represe-

tentationem, perceptionem, tenuem licet, debilemque & appetitum quendam adscribere Leibnitium & Bulfingerum l. c. §. 90. non itaque mirum est, quod animas brutorum eminentiore gradu immateriales faciant. At vero, quamvis bruta, tanquam meras machinas, considerare non placet, perceptio quippe imaginatio & memoria aliqualis iis denegari nequit, nihil tamen minus has operationes non ex immateriali quadam principio, mutationum suarum fontem & scaturiginem in se habente, unicè fluere, sed aptum omnino organum, cerebrum scil. suis sensoriis instrutum easdem requirere statuimus. Esse autem has ipsorum animas materiales, & ex subtili quadam materia, aëre scil. & æthere constare, solidis rationibus demonstratum dedit Vir Experientiss. Christoph. Mart. Burchardus Medic. Doct. & in Academ. Rostock. Prof. Ord. longe Celeberr. in meditationibus de principio móvente primo in animatis, quo letem benevolum remissum volumus.

## §. XXII.

Hac de Monadibus primæ & secundæ classis præmittenda duximus ut eò melius intelligatur, quām infirmis stant nixa fulcris, quæ de vi illa mundi repræsentativa, quam animæ humanæ cum hisce communem, excellentiorem licet, gradu quippe representationis distinctam, habere dicuntur, ab Ampli. Auctoriis copiose disputatione. Certe non potest non cuivis, immortalitatem pariter ac spiritualitatem animarum nostrarum consideranti admodum esse suspecta exigua illa differentia, quam inter essentias animarum nostrarum & brutorum constituant Auctores Celeb.; Etenim si diversus gradus representationis essentiale inter has & illas constitueret discrimen, essentialiter quoque different animæ brutorum à se invicem, sagaciore à stupidoribus, vivaciore ab illis, in quibus nulla imaginationis memoriaque indicia apparent. Ut jam nihil dicam de excellentissimo gradu representationis, quæ praे omnibus reliquis Monadibus pollere dicitur DEUS,

C

que

quæ assertio essentiam DEI non satis accuratè aut distinctè considerandam nobis sistere videtur, sed quoniam hæc ulterius imprætentiarum deducere, ab instituto nostro est alienum, remittimus Lectorem benevolum ad disputationem Cl. Mag. Dragheim de definitione DEI Wolfiana hic habitam 1725.

## §. XXIII.

Verum, ut omnia planiora siant atque expeditiora, jubarbit definitionem animæ ab Auctoribus Cl. allatam paulisper perpendere: Animæ nostræ hæc est natura, inquit Büsing. I. c. §. 04., ut res omnes sive universum repræsentet pro statu & situ nostri corporis organici in univerlo: Inde fieri, ut aliqua obscurè saltim, alia clarè quidem, sed confusè tamen, alia distinctè sed in adæquate percipiat, prout illa plus minusve connexionis habeant ad nostri corporis organa & situm. Confer. Wolf. met. §. 733, feqv. coll. cum §. 784.

## §. XXIV.

Naturam Spirituum, & in specie animarum hominum, non tam probè perspectam nobis esse atque exploratam, ut accuratam eorum definitionem suppeditare possimus, unâ nobiscum fatentur Auctores Cel. (Wolf. met. §. 193.) Interim clarissimum hunc, nostraque de anima humana cognitioni adæquatum, esse conceptum, quem de memorata mundi repræsentatione nobis dederunt, sibi aliisque perfravdere conantur (W. met. §. 784. & 894.) Verum ad sufficientem rei cuiusdam conceptum alicui ingenerandum requirunt Logici, ut quicquid de istius rei essentia nobis innotescit, in ipsa definitione exprimatur, nec sufficiat, quod demum per consequencias, quandoque longè petitas, inde elici & deduci queat. Voluntatem autem non minus quam intellectum ad essentiam animæ pertinere nemo temere inficiabitur. Deinde mundus sive hoc universum non est solum illud, quod mens nostra sibi repræsentat; Illam enim de DEO quoque & rebus Divinis conceptus sibi formare posse & debere quis neget? Denique

cum

cum varium situm & statuta corporis in mundo , ceu necessarium requisitum hujus repræsentationis constituunt , & quod hoc pacto anima sit a mundo dependens , (met. §. 941.) non video , quomodo haec assertio cum §. 777. & 780. 781. met. conciliari possit , ubi non modò animam easdem ex se evolvere ideas afferit Vir Cel. si vel nullum corpus adesset §. 777. sed & omnes quoque motus in corpore nostro eodem modo se exserturos esse , quo jam se exferunt , si vel maxime nulla adesset anima , solum eorum , quæ in corpore contingunt , nobis non essemus consciæ §. 780. imo ipsum corpus , quod mera machina sit , veritates universales cognitum , sensus vocabulorum percepturum , propositiones & syllogismos formaturum & cum ratione locuturum fore , si vel nulla in eo esset anima , quæ verba sibi quidem objici posse , sed tamen soluta esse facillima existimat Wolfius , met. §. 781. 782. Büsing autem , quomodo hoc possibile sit , probare satagit l. c. §. 198.

## §. XXV.

Jam proprius ad ipsum systema Harmoniæ Præstabilitæ , ut accedamus , par est , cuius cum supra §. 8. compendium aliquod exhibuimus , eò lectorum benevolum ablegamus . Ceterum hanc hypothesis suam commendabilem reddere student Auctores Cel. partim per ostensam & firmiter , ut putant , probatam duorum reliquorum systematum absurditatem , partim per concinnam & ipsi rerum naturæ convenientem , ut contendunt , suæ assertionis evidentiam , atque adeò non tantum à posteriori evincendo , aliter quam per hypothesis de Harmonia Præstabilita explicari non posse operationes animæ , & phænomena in corpore contingentia , sed etiam à priori demonstrando possibilitatem , sive exhibendo modum , quò harmonia ista possibilis redditur . (Bulf. l. c. §. 24.)

## §. XXVI.

Systema Causarum occasionalium plurimis involvi difficultibus una nobiscum fatentur ; Etenim , si DÆUS , tanquam

unica causa actionum tam moralium, quam naturalium statuantur, & Creatura non ut causa secunda, sed tantum ut occasions spectentur, non potest a causalitate peccati excusari. Præterea, cum supponunt, animam ipsam non posse movere corpus suum, neque a corpore affici, sed DEum perpetuum esse utriusque interpretem & mediatorem, ita ut pro corpore ad animam loquatur, & animæ voluntatem corpori insinuet, cursum naturæ ordinarium cum extraordinariis DEI operationibus manifestissimè confundunt. (Wolf. met. 763. 764.) Bülfing. l. c. §. 74. seqv.

## J. XXVII.

Ceterum longe majoribus sistema influxus physici scatere absurditatibus opinantur, quia, ut loquuntur, necrationes concipi, nec modo convenienter explicari, neque experientia probari possit, neque per ipsam Divinam potentiam possibile sit. Wolf. met. 761. 762. Bülfing. l. c. §. 24. seqv.

## S. XXVIII.

Modum, quò anima in corpus, & corpus in animam agit, non esse adeò explicatu facilem non negamus, quis verò ideo ipsam rei veritatem, que nihil plane contradictorium in se continet, in dubium vocare velit? Certè ab ignorations modi ad negationem rei concludere velle non convenienter, qua à Philosopho etiam ingeniosissimo merito requiritur. Dottiissimi sanè Viri judicium suum potius suspendere, quam aliquid certi in hac re definire maluerunt. Legantur cogitationes Pl. venerab. D. AEPINI nostri in parte secunda Ethica cap. 3. §. 7. ita differentis: *Quaratione* voluntas corporis moveat membra, exponere quidam conantur Physici, ut dicant, fieri studia, ut Spiritus animales proximum sine anima instrumentum, per quod in corpus agat, qui continuè atque celerrime moventur: post eos autem apertissimum ad voluntarios membrorum motus peragendos instrumentum nervos esse, quippe per quos, veluti per tubulos, spiritus animales in musculos inservire, ut ita ulterius quid non requiratur, quam ut motus spirituum animalium ope nervorum in singula membra influentiam pro libenter anima in usum corporis varie dispensetur ac dirigatur. Verum non, videntur has ratio istud negotium omne absolvere aut sufficienter explicare.

( c )

28

et adeo balbutientem heic deprehendamus Philosophiam nostram, ad sapientissimam DEI providentiam in hoc nos ablegantem. Paritatione Experientiss. D. BURCHARDUS noster: Fator, inquit, nos & que difficulter explicare quomodo spiritus immaterialis in eternum sive principium illud lucidum agat, & ipso intermedio, corpus nostrum moveat, an instar lucis per irradiationem id fiat, an longè nobilior ratione, quis est, qui determinet? in meditationibus de anima humana cap. 7. §. 113. verum enim vero, licet modum, quod reciproca animæ & corporis operatio perficitur, nos ignorare placuerit Divina sapientia, non tamen putandum erit, eandem voluisse nos in perpetuo errore versari & ut vigilantes essemus instar somniantium, qui se movere membra sua sibi imaginantur, cum tamen re vera non moveant.

### §. XXIX.

Instat porro BULFINGERUS, nullam impressionem fieri posse a corpore in animam, neque perceptionem mentis ori ex motu, quia effectus non posterior est sua causa, nec plus est in effectu, quam fuit in causa, sed effectus causa equipollere deber, advocat deinde Euclide in subsidium, dum ita loquitur: *Nisi ultra id & Euclides fallit & receptione judicandi ratio, quia proportionem & comparationem negat fieri posse vel debere inter res vel proprietates heterogenias* Bulf. h. c. §. 37. seq. & Wolf. met. §. 664. 845. Ad hæc ita respondemus: Opinionem eorum, qui animam non modo mediantibus in corpore fluidis, sed & immediate motum in corpore producere statuunt (Bulf. l. c. §. 24.) meritò averfamur. Neque specimen sensibilium ex corpore in anima translationem, aut idearum intelligibilium transitum in corpus admittimus (Bülfing. §. 25. & 126.) Hac enim ratione anima materialis esset. Si quis unquam tale quid somniavit, illi febricitantis cerebri sui deliria remittimus. Neque motus vitales corporis imperio a anima submittimus; Leg. Meditat. D. Burchardi contra Stahlianos argutantis de anima hum: Cap. 2. §. 76. l. De cetero, regula illæ proportionis inter effectum & causam valent duntur in causis & effectis physicis, non item in moralibus. Igitur frustra Euclides consulitur ubi, de operationibus spirituum sermo est. Nec tamen omnino nullum usum habent in explicando

commerico inter animam & corpus, non quasi inter animam rationalem & Spiritus, ut vocantur, animales daretur proportio, sed quatenus proportio sive comparatio aliqua requiritur inter motum à Spiritibus animalibus excitatum, & motum, qui in corpore nostro beneficio corporum ambientium perficitur.

§. XXX.

Pari cum hac instantia passu ambulat objectio Cel. Autorum, quam tanto cum strepitu urgent, conservari videlicet semper in mundo eandem virium motricium quantitatem wolf. met. §. 762. & Bulsing. §. 35. cujus verba ita jacent: *Si anima volitiones motum efficiant in corpore nostro, reliquis imprimendum, augerentur sive in corporibus sive in universo corporum complexu vires motrices, minuerentur autem eadem, cum ex diversorum corporum motu atque in organa nostra impulsu oriuntur perceptiones. At verò ex falso, quem sibi de influxu physico formant conceptu, orta videtur tota hæc ratiocinatio, quasi omnis motus fieret per contactum. Non opus est, ut persuadeamus nobis, allidi quasi Spiritus animales in motu positos ad animam, in eamque motum suum terminare, quemadmodum fluctus marinos ad litora allui, ibique à motu suo remittere videamus sed sufficit, quod Spiritus animales rerum, quas representant, & à quibus in motu posita fuerunt, impressas ideas referant, quas intransitu, animam quasi pratervehendo sistere eidem ad formandas inde perceptiones possunt, adeo ut ipsi nihil motus eo ipso, dum perceptiones in anima excitant, amittant, sed eundem, quantum etiam est, omnem cum aliis corporis partibus fluidis, pariter atque Solidis communicent, ita tamen, ut motus totius motus partium fiat. Hoc itaque modo & excitari motu corporum idea in anima possunt, & conservari tamen simul, ut nihil ejus rei pereat, eadem motus & virium motricium quantitas. Sunt verba Cel. Prof. Holmanni in dissertat. poster. de Harm. Præstabil. §. 22. Multum quidem ponderis haberet hæc eorum objectio, si diceremus, animam fluuisse unicam causam motuum corporis, & motus spirituum animalium virtute sua motrice producere perceptiones in anima; Supponimus autem animæ naturam ita esse comparatam ut, simulac illi sistuntur ideas objectorum externorum, vi polleat easdem non modò percipi-*

piendi, sed & cum judicio combinandi, iterumque discernendi; Et ad vim locomotivam non tantum reqviritur anima, ceu principium dirigens, sed & concinna partium sive organorum corporis dispositio, & fluidæ ac musculosæ in nervis substantiæ per vim & influxum Spirituum animalium commotio, conveniensque aliorum adjacentium corporum ad motum hunc conservandum applicatio.

## §. XXXI.

Contra argumentum ab experientia desumptum excipiunt, nos nihil aliud experiri, quam ad cogitationes & desideria anima sequi certos in corpore motus, & vice versa ad certos corporis motus sequi certas in anima sensationes volitionesque, atque adeo nos à rerum compræsentia, ut loquitur Bülf. l. c. § 28. ad rei causalitatem minus philosophicè concludere. (Wolf. met. S. 529. 534. 536.) At verò huic exceptioni obviam iri potest canone illo Metaphysico: Qvð posito, ponitur statim & semper effectus, &, qvo remoto, statim & semper removet effectus, id rectè causa dici meretur. Largimur quidem haud inviti, ex sola præsentia rei non posse semper inferri causalitatem. Sed neque nos ita nudè & crudè argumentamur: Anima qualicunque modo adest corpori, ideo movet & afficit corpus, sed ita fuit nostrum ratiocinium: Quæcunque substantiæ firmissimo sociatæ sunt vinculo, atque ad unum compositum constitendum à sapientissimo omnium rerum Conditore sunt ordinatæ, earum unam ab altera moveri par est, Anima & corpus ita Ergo. Nec in qualicunque experientia acqvescimus, sed ex constanti omnium hominum conscientia, sensu & consensu concludimus, animam esse principium, dirigens facultatem locomotivam corporis, corpus vicissim vel Spiritus animales in corpore animam afficere, ideas corporeas ipsi dijudicandas sistendo objiciendoque. Tamdiu verò experientiæ tutò confidere possumus, donec eam falli ratio manifestissimè ostenderit. Præterea, nisi talem animæ & corporis unionem statuamus, ut mutuam in se invicem operationem habeant, actiones corporis jure non possunt imputari animæ sed unicè potius aliis corporibus circumfusis in corpora nostra agentibus, qvibus-

cum

cum si secundum hypothesin Harmoniae Præstab. operationes animæ perpetuò conspirare dicimus, plurimis nos ipsos involvimus difficultatibus mox perpendendis.

## §. XXXII.

Influxum animæ & corporis physicum in se esse impossibilem arbitrantur; Nam ita Büsing. lib. cit. p. 47. Deum concreare posse anima virtutem agendi sunc licet supponere, cum prius confiterit id esse in se possibile. At vero, monstrandum itaque est, talem operationem ex parte ipsius rei involvere contradictionem Contradictorum enim illud dicitur, quod primum Philosophiaæ extit principium, hoc nimurum: Impossibile est idem simul esse & non esse. Sic implicat, si lucem solis obscurissimam, aquam sicciam, veritatem falsam, scortum intemeratum &c. dicemus. Hæc vocantur contradictionia, qvia, posito uno, non potest in eodem subiecto, secundum eundem statum & tempus considerato, ponи alterum, talis verò contradictione, obseruatis, qvas adjecimus, cautelis, neutiquam potest ostendi. Quando autem prospicimus impossibile esse autum, Spiritum posse agere in corpus, ad tale principium se recipiunt, quod, anteqvam, ceu res invicta & dudum demonstrata veritatis nobis obtrudebatur, firmioribus, qvam hactenus factum est, fuisse probandum rationibus. Nobis haud difficile esset, si in foro Theologico versaremur, evincere contrarium non tantum ex operatione Angelorum in corpora, qvam Cartesiano-rum nonnullos aperte negare, Autores verò Cel. tanquam ex sola ratione demonstratu impossibilem è foro suo eliminare haud quidem ignoramus, sed & ex efficacissima summi Numinis in omnia corpora agendi potentia, qvam tametsi illi, eeu Enti infinito, denegare non audet Büsing., eandem tamen Spiritibus finitis, in specie animabus hominum abjudicat lib. cit. §. 52. At verò nunquam evictum dabit, potentiam movendi corpora à sola infinitudine Dei ita derivari debere, ut eadem Entibus finitis, pro modulo scilicet capacitatis, non possit conferri; Etenim si vim motricem ipsis corporibus impressit Divina sapientia Büsing. §. 139, qvid obstat, quò minus Spiritibus potentiam agendi in corpora, finitam tamen & pro finitudine es-

sentia-

(o)

25

sentiæ eorum limitatam concesserit. Per nomen Spiritus intelligitur conceptus ille generalis, quem de Deo, Angelis & animabus nostris sibi formarunt Metaphysici, vel, si mavis, Pneumatologi. Jam verò unde nobis, folius rationis ductum sequentibus, aliquali modo innoscet essentia Spiritus, vel id, quod de Spiritibus novimus? Certe ex operationibus eorum, sicut itaque essentia non minus, quam existentia Dei ex Creatione & gubernatione totius universi haud obscure nobis patescit, ita quoque animæ nostræ existentia, essentia & affectiones ex regimine corporis non minus perspicue probari possunt.

§. 33.

Hactenus vidimus, quibus ratiociniis Fautores Harm. Præst. reciprocam animæ & corporis unionem communio nemque impugnat, jam porro dispiciemus, qua verosimilitudinis specie veritatem systematis sui stabilire conantur. Audiamus Bülfingerum verba Leibnitii de Harmonia hac Præstab. citantem lib. cit. §. 10. *Corpora motu physico feruntur à causis efficientibus, imperio corpori imprimitibus;* Sed Monades apperti seu mota Metaphysico & morali reguntur à causis finalibus, inclinationem illis largientibus. Ita consentit regnum Causarum finalium arque efficientium: Et mundus moralis conspirat naturali. Et §. 11. Ex his premisis Philosophia principiis duplēcēt eumque perfectissimum parallelismū constitutio; unum inter principium materiale & formale, seu inter corpus & animam; alterum inter regnum causarum finalium: Hoc modo sit, ut omnium naturalis ratio reddi possit in anima corpore que; dum statu praesens corporis ex statu precedente nascitur per leges Causarum finalium. Illis transitur à causa ad effectum, hic a fine ad medium. Et revera dici potest, representationem finis in anima causam efficientem esse representationis mediorum in eadem: Atque ita à parallelismo inter causam materiale & formalem in viventibus seu in natura machinis deducti sumus ad parallelismū inter efficientes & fines

D

fines &c. Et §. 96. Istà ratione mutationes in anima omnes scaturiant, convenienter tamen legibus Metaphysicis generalibus atque appetituum Ethico-Logicis. Unde conficitur id, quod Leibnitius figurata locutione non male edifferuit: Praesens gravidum est futuro.

## §. XXXIV.

Huic hypothesi Cel. Auctorum sequentia opponimus: Quodsi anima ideas rerum corporearum non extrinsecus recipiat, sed ex suo fundo & domestico quasi principio eosdem evolvat, tunc unà subtotà idea, cæteræ omnes per nexus continuum & seriem non interruptam se invicem sequentur; Consequentiam syllogismi hujus hypothetici probo ex ipsis verbis Autorum, dicentium, statum præsentem animæ ex statu præcedente nasci per leges causarum finalium sive per seriem appetituum, & simul præsentem gravidum esse futuro. At verò non statim omnes veritates rei percipimus, quia ad æquatum unius rei conceptum habemus. Quod si vel maxime homini rudi, & veritatibus indagandis aut saltem percipiendis non asyeto distinctam rei cuiuspam antea ipsi incognitæ ideam impresserimus, non tamen illoco cæteras omnes veritates, cum illa, quæ ipsi perspecta est, necessariò connexas, sponte sua evolvere potest, manifesto indicio, ideam unam post alteram successivè debere animæ ope Spiritum animalum sisti & presentari. Sit cuipiam nota prima thesis in metaph. Wolffii, quæ hujus tenoris est. *Nos nobis sumus consci, vel sit ipsi notum primum principium Philosophorum, etiam à Wolffio ad optatum: Impossibile est idem simul esse & non esse, an ideo omnes cæteræ thetes & hypotheses, longo ordine secum conexæ, ipsi statim innotescant. e. g. Omne, quod revera est, etiam possibile est §. 14. 15. Essentia rei alicuius, quia possibilis est, est etiam necessaria §. 38. Quia essentia rerum est necessaria, ideo & aeterna §. 39. 40. Et quia essentia rerum est aeterna, ideo & immutabilis §. 41. 42. & sic deinceps. At verò contrarium testatur non modo*

modò crassa rudiorum ignorantia , sed & ipsa diffensio Philosophorum , qui , licet idem cum Woltio principium admittant , non tamen easdem inde conclusiones derivant . Ad hæc forte nobis reponant , non hanc sibi sedere sententiam , animam abstractive spectatam ex se evolvere ideas rerum , sed concretive pro vario nimurum situ & statu corporis in mundo . At vero non bene sibi ipsis constant Autores Cel . Qvandoque enim rationem evolutionis & consecutionis idearum in sola anima querunt , ita ut afflere non dubitent , animam easdem ex se ideas producturam fore , si vel maximè non esset corpori alligata Wolf . met 777 . Sæpiuscule vero animam non nisi ad occasionem & præsentiam objectorum in cerebro se præsentantium , vel ut alias loqui amant , animam non nisi pro vario statu & situ corporis sui ideas rerum corporearum , sibi velut proprias & domesticas , evolvere posse contendunt . Sive itaque prius , sive posterius urgent , explicit , obsecro , nobis mentem suam clarijs ; An scilicet existimant , ideas totius universi formaliter in anima delitescere , & habeant nos in hac & seqv . paragraphis sibi adversantes , an verò tantum virtualiter eas in anima esse arbitrantur , & habeant nos , si terminus hic ritè exponitur , non adeò secum altercantes ; Ambabus enim largimur animam vi & virtute sua intrinseca talis aptitudinem & dispositionem habere , ut ideas ab extra sibi oblatas dijudicare atque examinare possit . Cæterum , quando perceptiones in anima non nisi ad certos motus in organis corporeis exitatos oriri defendunt , cur motus illos antecedaneos , duntaxat ut occasionses , cur non potius eos , ut veras , licet non solas , causas considerant ?

### §. XXXV.

Animam non ex se ipsa ita evolvere ideas , ut status sequens ejus in priore necessario & non interrupcio nexu sit fundatus , probant cogitationes , quas pro summa libertate sua saepe sibi format , cum perceptionibus innumeris commixtae ,

D 2

inter

inter quas nullus s<sup>e</sup>piuscule intercedit ordo , nulla connexio aut affinitatis necessitudo. Quilibet ipse sibi optimè conscient est cogitationes suas in res diversissimas , & toto cœlo discrepantes , nulloque proportionis vinculo conjunctas brevissimo temporis spatio ferri & distrahi posse , jam enim corpora cœlestia admirari , jam vastum Oceanum contemplando sibi sistere potest , jam varios rerum , eventus perpendere , jam umbram Solis , jam morbos , quibuscum conflictamur , jam dulcem avium cantilenam , jam perturbationes animi , quibus abripiuntur homines , jam immanitatem belluarum , jam alia animo suo agitare & quasi voluntare potest. Nec opus esse arbitror , ut discrepantiam rerum plurimarum , & vel naturarium cum moralibus vel artificialium cum utrisque combinationem & commixtionem enumerem , cum quemlibet , cogitationibus suis fræna paulisper laxantem , propria sua hujus multiplicis idearum varietatis arguat experientia. Jam vero si anima non nisi ideas in se fundatas ex proprio fundo evolveret , necesse erat , ut distincte ab una ad aliam cognatam progrederetur , atque in unius pensitatione tam diu defixa haberet , donec omnia , quæ quandam inter se cognitionem connexionemque in illa habent , evolvisset , nec tam facile a rerum naturalium superficiaria consideratione ad levem & tralatitiam rerum moralium contemplationem , ab idea l<sup>a</sup>titiæ ad ideam doloris , à conceptu spei ad ideam admirationis , ab hac ad ideam indignationis , à rerum sensibilium per�ensione ad purè intelligibilium meditationem tam præceps & inordinatus fieri posset transitus.

### s. XXXVI.

Decretis animæ non illico nec semper respondent motus corporis , nec his decreta & volitiones animæ ; Jam vero si leges motuum corporis & appetituum animæ essent planè harmonicae , sequeretur , quod , quando apud nos certò statuimus opus aliquod sine ulla interposita cunctatione aggredi velle

velle, aut aliquò nos conferre, tum nec diffiri nec prorsus  
intermitti operis aut profecctionis exsecutio posset. Si autem  
nobis regerere velint, causam forte gravioris momenti ani-  
mum nostrum à primo proposito deflectere posse, atque har-  
moniam illam, inter decreta animæ motusque corporis cæte-  
roquin certissime fecuturam turbare, considerent, quæso, ho-  
mines pro varietate & volubilitate ingenii jam huc jam illuc  
ferri & pertrahi, multa omittere ex obliuione, nonnulla ex  
oscitantia, alia præter cogitationem & non præmeditatè agere,  
nec semper certos sibi propositos fines habere, quibus per-  
moventur, nec eos, quos sibi præstiterunt, perpetuò fieri  
media, quibus alii fines in actum deducantur (Bülfing. §. 155.)  
uti S. præced. ostendimus. Et si vel maxime in operatio-  
nibus intellectus practicis id saepe contingere conceda-  
mus, quomodo autem idem in speculationibus merè Theo-  
reticis fiat, non facile potest intelligi. Ponamus, homi-  
nem, tenebris densissimis circumfusum, sedere, & medita-  
tionibus suis indulgere, ubi nulla externa objecta sensus ipsi-  
us feriunt, nihil auditum, nihil visum ipsius percellit. Inter  
medias cogitationes obveniunt iphi multiplices res cum eo,  
quod pro scopo & fine habet, nulla ratione connexæ; Me-  
diavit v. e. amicum ægrotare, nec in crastinum vivere posse,  
statuit mox ad eum accedere ultimumque vale ipsi dicere ve-  
le, vestibus indutis, accingit se itineri, mox ab incepto de-  
sistit, cubitum it, inque diem multum dormitat & sic deinceps  
jam verò, Qualem nexum inter se & ordinem consecutionis  
habent omnes haec cogitationes volitionesque, & quomodo  
occationem illis præbuerunt externa objecta in sensus agentia?  
Curni tota nocte in speculationibus primis & primariis immo-  
tus sedebat? quid movebat corpus ad surgendum? Cur cor-  
pori semel in motu constituto non respondebat id, quod  
ab anima erat firmiter decretum. Existimat quidem Cel.  
Wollius, se exemplo quodam probare posse, cogitationes  
nostras omnes serie non interruptâ se invicem consequi, dum

met. §. 342. ita scribit : Titius mane expergiscitur , horam quintam audit , è lecto surgit , vestibus se induit , lectionem Biblicalam instituit , studiis se accingit , & sic deinceps , quæ omnia supponit deliberato consilio fieri , & quia unum alteri succedit , vi ratiociniorum hanc idearum consecutionem ipsi suboriri contendit . Sed argumentatur Vir Cel. à particulari ad universale . Ideas sæpius repetitas non modò sensuales illas , sed & intellectuales se nexus & ordine longo invicem sequi faciles largimur ; Non tamen in omnibus cogitationibus & ratiociniis nostris id fieri quotidiana quemlibet docet experientia .

### §. XXXVII.

Cæterum non potest non nobis valde suspecta esse fluctuatio Cel. Auctorum , dum interdum operationes perceptionesque animæ , non tantum corporis humani , sed & reliquorum ambientium corporum structuræ mechanicae Deum attemperasse statuunt , interdum motus & actiones corporis desiderii volitionibusque animæ conformes factas esse supponunt , Wolf. §. 884. seq. Bülf. §. 10. & 115. 118 , ubi ultimam hanc sententiam eos eligere posse dicit , quibus forte graye est approbare universum systema suum . Opinantur autem Auctores Cl. , se hac ratione satis in tuto libertatem animæ collocâsse . Verum , si leges cognitionum , quas adducit Cl. Wolfius , paulisper perpenderimus , contrarium deprehendemus , tres autem rationes ponit , secundum quas cognitiones nostræ , quantum ad rerum cognitionem attinet , examinari debent . Prima ratio erit harmonia sensationum animæ cum mutationibus quæ in organis corporis sensoriis contingunt , secunda erit regula imaginationis , tertia ratiocinia , quæ in duabus prioribus fundantur . At verò an aliquid ex his tribus rationibus excuspi potest , quod libertatem cognitionum tuerit , valde dubito ; Mutationes enim , quæ in organis corporis sensoriis pro ratione corporum ambi-


bientium ad certum motum eas determinantium fiunt, se-  
qvuntur leges motuum, atque adeò perceptiones quoque  
animæ propter harmonicum illum concentum iisdem legibus  
esse subjectas quis negabit (met. §. 884.) Regulae imaginatio-  
nis explicantur uberiorius §. 238., quod nempe imaginationes  
à perceptionibus oriuntur, hac quidem ratione: Quando sen-  
sus nostri interni aliquid nobis repræsentant, quod cum per-  
ceptionibus, quæ ante nos afficerunt, commune quid habent,  
non modò ipsæ hujus rei ideæ, sed & aliae cum iis connexæ  
nobis sistuntur, jam verò cùm hæ in constanti & non in-  
terrupta rerum serie fundata sint, non minori, quam ipsas  
perceptiones, necessitate produci certum est. Tertia, quæ  
à ratiociniis ab uno ad alterum progredientibus defumitur,  
ratio, libertatem cogitationum prima specie defendere vide-  
tur, sed cùm observaverimus, quòd hæc ipsa ratiocinia, in  
duabus prioribus sint fundata, ut ibid. loquitur Auctōr Cl.,  
non, ut opinor, horum magis quam illarum tuebitur libera-  
tem. (confer. met. §. 342.)

## §. XXXIX.

Leges appetituum, quas pro summa sapientia constitu-  
tas anima humanæ DEum ingenerasse statuunt legibus mo-  
tum corporis conformes, semper eadem & immutabiles  
fuisse supponuntur. Hinc non satis distinctum nobis conce-  
ptum suppeditant de moralitate actionum in omnibus statibus  
hominum, nec de regno naturæ & gratiæ, nec denique de  
origine mali. Quare ne ipsi quidem Bülfingero placent  
verba Leibnitii, cùm in Monadologia sua §. 90. -- 92. ita  
differit: *Hic nobis alia harmonia memoranda venit, qua inter  
regnum physicum naturæ & regnum morale gratia intercedit, hoc est,  
inter DEum quatenus considerat, ut Architectus Machina, &  
inter DEum eundem, quatenus ut Monarcha civitatis Divina Spi-  
rituum spectatur.* Ab hac harmonia pendet, quòd res deducantur  
ad gratiam; per ipsas vias naturæ, &, quod hic globus e. g. destrui

¶ reparari debeat per media naturalia iis momentis, quando regimen  
Spirituum id postulat ad aliquos puniendos, eatos remunerandos.  
Asseruare etiam licet, Deum, tanquam Architectum satisfacere  
DEO, tanquam Legislatori ex auctoritate, atque sic peccata consequi de-  
bere penas per ordinem naturae & structuræ rerum mechanica, bonas  
etiam actiones secum trahere remunerationes per media machinaliter  
respectu corporum, quamvis idem nec possit, nec debeat constanter  
exempla accidere. Sed hujus controversiae, utpote à foro no-  
stro aliena, curatus examen ulteriori Theologorum disquisi-  
tioni relinquimus, adeoque, ne falcem nostram in alienam  
segetem immittere videamur, spicilegio hoc post plenam  
messem ab aliis instituto ut benevolus Lector contentus  
esse velit, rogamus atque  
obtestamur.

SOLI DEO GLORIA.



Rostock, Diss., 1724/27



St.





Q. D. B. V.  
*DISPUTATIO PHILOSOPHICA*

In qua

Hypothesis

LE

# HARMONIA

*INTER ANIMAM ET CORPUS*

# PRÆSTABILITÄ,

Breviter proponitur ac ponderatur,

CONSENTIENTE AMPLISS. FACUL-  
TATE PHILOSOPHICA,

PRÆSES

M. JANUS VAN HAUEN,

Othiniensis-Danus

&

RESPONDENS

FRIDERICUS GEORGIUS MAKE,

Wismariensis S. S. Theol & Philos. cultor  
Publico eruditorum examini sistunt

NILLUSTRI ACADEMIA ROSTOCHIENSI

Anno Christi MCCXXVI.

d. 8. mensis Junii.

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampliss. Senat. Typograph.

KUNDFRIE  
UNIVER  
ZVHALI

18  
Vol. 1 N. 14

1726, 6.